



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

FRANCISCO S.R.E. CARDINALI MONTERISI

NOMINATO MISSEO EXTRAORDINARIO

AD SESCENTESIMUM ANNIVERSARIUM

INVENTIONIS STATUAE DOMINAE DE LIBERA

COMMEMORANDUM, APUD SANCTUARIUM IN CERCEMAGGIORE

Venerabili Fratri Nostro

Francisco S.R.E. Cardinali Monterisi,

Archipresbytero olim Basilicae Papalis Sancti Pauli de Urbe

Sexto volvente saeculo ex quo observatissima Mariae orantis statua detecta est sub terra *Cercemaggiore*, Nos magnopere laetamur de innumerabilibus beneficiis quibus christifideles, Beatissimae Virgini hoc in loco devoti, constantem per eius intercessionem copiose ditantur. Cum enim primum incurrit aratrum in illum urceum qui Dominae Nostrae effigiem includebat, illico inceperunt multa mira multaeque sanationes quae incolarum fidem corroboraverunt atque auxerunt. Huic quidem venerationis Mariae primordii in *Cercemaggiore* narrationi aptissima sonant Psalmistae verba: "Posuit flumina in desertum et exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem" (*Ps* 107, 33-34).

Ergo idonea Nobis videtur petitio Venerabilis Fratris Ioannis Caroli M. Bregantini, Archiepiscopi Metropolitae Campobassensis-Boianensis, qui rogavit Nos ut aliquem Praesulem mitteremus qui Nostram gereret personam Nostrasque adstantibus gratulationes proferret. Hac de causa, ad sescentesimum anniversarium inventionis statuae Dominae de *Libera* convenienter commemorandum, te, Venerabilis Frater Noster, Patris purpurati dignitate ornatum ac devotioni Marianae colendae deditum, his Litteris nominamus *Missum Extraordinarium Nostrum* ac renuntiamus ut iure Nostram geras personam apud sanctuarium in *Cercemaggiore* die altero proximi mensis Iulii. Valde exoptamus ut haec commemoratio, quae ipso in *Anno Fidei* habetur,

animos singulorum prope ac longe participum inflammet ad vias novas Christi Evangelii cognoscendas percurrendas et ubique instituendas. Haec celebratio faveat insuper devotioni erga Beatissimam Mariam Virginem quae iure meritoque a Christo originem et efficaciam trahat. Exoptamus ut tu, Venerabilis Frater Noster, nunties participantibus quam pretiosum sit christifidelibus exemplum Matris Dei quae provocet christifideles ad profundiore in Deum fidei oboedientiam arctioremque spiritalem cum Eius Filio communionem. Ne praetermittas quin Archiepiscopus Campobassensis-Boianensis ceterique adstantes Praesules, sacerdotes, Patres et Fratres Ordinis Praedicatorum alique religiosi viri mulieresque necnon omnes christifideles laici Nostro salutentur nomine Nostramque erga se benevolentiam sciant.

Instanti denique prece Omnipotentem Deum exoramus, ut diligenter officium tibi concreditum expleas, ita ut omnes anniversaria participantes uberibus gratiis a Domino ditentur. Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Nostra Benedictio Apostolica, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimus, quam item ad omnes congregatos volumus pertinere.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis Maii, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

FRANCISCUS